

363
 A D B E N E D I C T V M
 M A N Z O L I V M
 E P I S C O P V M R E C I E N S E M .



OSCE X. discussionum mearum Peripateticarum libros Præful optime atq; eruditissime tibi do ac dico, amico vero ac veteri. Memoria tenes, idque sæpe refers, dum Patavij philosophiæ gratia uterque essemus annis ab hinc vigintiocto, occulto quodam gemorumque & trahente & impellente in amicitiam nos convenisse. Quam & ego semper ex animo colui, & idem te fecisse video. Neque enim locorum distantia, qua tu quidem per Italiam perque Galliam. Ego verò per Dalmatiam, per Græciam, per Asiam, ac demum per Hispaniam atq; Galliam disjuncti postea semper fuimus, potuit eam obliuioni tradere, neque ex animis nostris eradere fortuna dispar, quæ te in arduis semper negotijs ac magnis, magnorum principum habuit donec ad eam dignitatem, qua nunc fruens, longè merito es euectus. Ego verò pauperie pressus, dum aliena commoda curo, mea non curo, continuis itineribus terraque marique exercitus, Cypriæ clade oppressus, atque ingratisimorum pessimorumque hominum fraudibus insidijsque circumuentus, Mutinæ in patria tua te absente, apud veteres amicos, apudque Alexandrū Baranzonū equitem, ac Tarquiniam Molziam singularem totius seculi feminam, primum resedi, postea è marinis, fortunæque fluctibus in hunc portum sum deuectus, ubi te sæpius reuiso fruorque. Huc postquam veni & studijs meis me reddidi, & scripta à me olim quædam in manus resumpsi, quantum potui polui. Ea quoniam Philosophiæ studiosis profutura speravi, in publicum exire volui. Ea sunt post primum Venetijs editum tres alij discussionum Peripateticarum Tomi. Quartum hunc ex ordine tuo nomine insignitum volo In eo quæstiones aliquot Aristotelicæ agitantur. Si quid in ijs ex veritate dictum pro tua doctrina singulari iudicaueris: non frustraneam operam me nauasse credam. Sin quid acutius non introspexi, scito animum non defuisse neque deesse veritatis in philosophia indagandæ. Quaecunque id sit, tu animo amico ea suscipe, ac Patricium tuum memoria serua.

H 2

Posveta u četvrtom svesku *Discussionum peripateticarum tomi IV*
 Benedettu Manzoliju kojeg Petrić spominje i u posveti
 Tarkviniji Molzi u trećem svesku